



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

De perfectæ obediantiæ conditionibus. Thema. Produxit etiam Deus  
lignum vitæ in medio paradisi. Gen. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

Quare denique aroma, quod suavi virtutum odore ac gustu Spiritum reficit est lectio pia ac spiritualis. Scripsit divinis, SS. Patrum Voluminibus, Litoris admodum Asceticis, Historiis factis & martyrologio. Hoc aromate fruimur ac reficimur, dum lectionem moderata ac suavi attentione auscultamus, dum quidpiam observatu dignum, in ventrem memoriz demittimus, aut si lectio desideretur, dum pii quidpiam ruminamus, Christi, B. V. & Sanctorum aliorum manducantium exempla nobis proponimus, aut de cibo caelesti cogitamus. Atque haec sunt aromata illa odorifera ac praestantissima à S. P. N. in Regula praescripta.

Quapropter, Dilectissimi, si cum sponsa cupimus esse sponsi hortus amce-

nitare ac fructibus affluens. 1. Christus in nobis, & nos cum Christo metamus Myrrham temperantiae, ad eam animam salutarem, ut ab ea vitia quamplurima refectet, eandem ad orationem & Spiritus exercitia disponat; ad eam corpori proficuum; ut morbos arceat, humores superfluos exsiccet, sensus & potentias vegetet, sanitatem tueatur, & vitae longevitatem adducat. 2. Metamus aromata, Deo ac proximo gratum ad eam odorem & saporem praebentia: scilicet modestiam, decentiam, orationem devotam, lectionem piam; quae si observaverimus, quotiescunque corpus cibo reficiemus, caelesti Sponso, melleum myrrhae cum aromatibus odoriferis, & gratissimis exhibebimus, & inique mirifice oblectabimus.

## REGULA XXXI.

DE OBEDIENTIA PERFECTA.

## EXHORTATIO

IN EANDEM;

Declarat conditiones perfectae obedientiae.

T H E M A

*Produxit Deus lignum vitae in medio paradisi. Gen. 2. 9.*

V E L

*Expediit in primis ad profectum, & valde necessarium est, ut omnes perfecta obedientiae se dedant. Reg. 31.*

Quemadmodum praestantissimi Ecclesiae orthodoxae Doctores S. Augustinus, L. 3. de Civ. c. 21. & S. Ambrosius L. de Paradiso Ecclesiam in sensu allegorico cum Paradiso component: Paradisus, inquit, est Ecclesia, quatuor flumina sunt quatuor Evangelia, ligna fructifera sunt Sancti, fructus Sanctorum opera, lignum vitae Christus, Sanctus Sanctorum, vel ipsa benorum omnium mater Sapientia.

Ooo 3

Lignum



*Lignum scientia boni & mali, est liberum arbitrium. Ita quoque alii cum S. Basilio homil. de parad. & cum S. Antonino, 3. p. 10. c. 20. §. 11. statum religiosum paradisi titulo honorant. Paradisus est religio, inquit Sanctus Antoninus, quæ à Deo condita est, ut in ea iucundè beatèque viveremus. In hac, ex mente Sancti Gregorii 1. moral. c. 27. Quatuor flumina, sunt quatuor virtutes cardinales: vel sunt gratia Dei, quæ est quasi fons aquæ salientis in vitam æternam; & favores omnino singulares, a Numine supremo, ei liberaliter concessæ; & sunt tranquillitas conscientia, securitas vitæ, immunitas curarum, & torrentes consolationum spiritualium. In hoc amœno Religiosis Paradiso, omnis generis virtutum arbores efflorescunt, præcipuè verò lignum vitæ, quod symbolum est obedientia, quæ Religiosa vitæ alumnis, vitam spiritualem tribuit & conservat. Hanc igitur arborem præstantissimam, velut illustre obedientia perfectæ hieroglyphicum, in hac exhortatione, ob oculos ponemus.*

I.  
Obedi-  
entiam in-  
tegrè.

I. Ex libro Geneseos c. 2. v. 9. sat, superque colligimus, Lignum vitæ in horto Paradisi amœnissimo divinâ manu plantatum, fructus admodum præstantes, efficaces atque perfectos protulisse; qui virtute pollerent, vitam humanam in vigore suo diu conservandi, & ad aliquot annorum millia prorogandi. O arbor præclara! O lignum mortalium votis desiderandum! Talis arbor est perfectæ obedientia, quæ cunctis vitam & motum tribuit, sine qua, languent, squalent, & immota hærent univèrsa. Quæ fructus dulces,

sapidos ac perfectos, Deo & hominibus gratos producit, ac denique nos ad vitam æternam portam perducit, ut non ad aliquot annorum millia vitam prorogemus, sed cum Divina Majestatem æternitate regnemus. Quis dubitare potest de salute sua, (scribedat B. Catharina Bononiensis, in Libro suo, De iustis exarato) si finiat vitam in obedientia, quæ nos Christo magis assimilat, quam ulla alia virtus? Creadat firmiter, se eius operibus salvandam, quàm ullâ penitentia, jejuniis & contemplatione. Ecce quàm præclara & salutifera vitæ arbor!

Quo autem obedientia, perfectione suâ gaudeat, fructuque integros ac perfectos proferat, multa requiruntur, quæ Sanctus Patriarcha noster, hæc Regulâ, velut compendio complectitur.

Prima igitur ejus qualitas, prima conditio & perfectio ab illo statuitur, ut sit *integra*: quæ Superiorum iustis integrè perficiat. Præcipit obedientia orationem, integrè, non ex parte obtinenda est: præcipit laborem, integrè, non dimidiatè perficiendus est, Rationem hujus conditionis Sanctus Legislator noster insinuat; ut in Præfate Deum suspiciamus: *Superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini nostri habeant. Quod autem Christus Dominus, aut Superior Christi nomine mandat; quis non videt, integrè & non ex parte solum adimplendum esse. Ipsiusmet Salvatoris nostri exemplis, qui Patris sui voluntatem, integrè in omnibus exactè perfecit, & in eis Agni Paschalis, cæterisque operibus,*



omnes conditiones, omnes à Lege præscriptas ceremonias accuratissimè explevit: ideòque opera illi Patri cælesti longè gratissimè acciderunt. Veluti ex adverso opera non integrè perfoluta reprehensionem promerentur & poenam. Præceperat Deus L. 1. Reg. c. 15. Regi Sauli, ut Amalec funditus deleret, à viro ad mulierem, nec quicquam de rebus ejus concupisceret. Verùm Rex rerum cupidus integrè ac plenè nequaquam paruit: Regem Agag pepercit, vitam ei donavit, optimaque ex ovium, & armentorum gregibus, & universa quæ pulchra erant disperdere noluit. Quantopere verò id Divinæ Majestati displicerit, Propheta Samuel disertè affirmavit; dum ei hanc inobedientiam exprobrauit: *Quare non audivisti vocem Domini; sed perisus es ad prædam?* Cùmque ille exculcationum vela obtenderet; allegaretque populum ovibus pingtioribus pepercisse, ad eas immolandum Domino. Reposuit Samuel: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediat voci Domini? Melior est obedientia, quàm victima; & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nihil acquirere. Pro eo itaque, quòd abiecit sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.*

Integrè igitur Superioris voci obediendum est, & res in juncta, non ex parte, sed plenè perfectèque exequenda; ne oculis Divinæ Majestatis displiceat, ac reprobetur.

II. Lignum vitæ ea à Deo dotata erat virtute, ut ex illo manducantes à morbis, senio, gravedine ac tarditate immunes servaret; simulque jucunditatem vitæ, alacritatem, & promptitudines ad quasvis functiones impertiret. Pari ratione Arbor Obedientiæ perfectæ tarditatem exequendi aufert, & languoris senium depellit; alacritatem verò ac promptitudinem juvenilem tribuit. Atque hæc est altera Obedientiæ perfectæ conditio. Quisquis in rem quampiam desiderio vehementi, & voluntate pronâ fertur; eam confestim exequitur: ita quoque, qui in voluntatem divinam ingenti amore ac desiderio rapitur; extemplò, manus operi admovet, & obedientiæ ductum sequitur. *Qui cito dat, bis dat: dat enim & rem & voluntatem, quam Deus in opere quolibet potissimùm respicit. Vesterus obediens, ait S. Bernardus, nescit moram, mandatum non procrastinat; sed parat oculos visui, aures auditui, manus operi.*

Quantopere verò prompta & expedita hujusmodi obedientia Deo placeat; & præmia ab eo referat, non uno in loco sacrarum Literarum monumenta perhibent. Vocavit Salvaror noster ad sui sequelam Philippum, isque quamprimum, celeritate magna paruit: obedientiæque suæ promptitudine, fidei & devotionis incrementum fecit, quibus Nathanaëlem quoque ad Redemptoris sequelam pertraxit. Vocavit Dominus Mattheum ad Telonium residentem; qui extemplò surrexit, cuncta quæ præ manibus erant, negotia seposuit, & in Christi discipli-

II.  
Promptè



disciplinam se tradidit. *Considera*, inquit Sanctus Chrysostomus L. 5. in Caten. & *vocantis* (Domini) *virtutem*. & *vocati* (Matthæi) *obedientiam*; neque enim obstitit, neque vacillavit, sed protinus paruit. Vocavit Christus Petrum & Andream, Joannem & Jacobum: Et confestim obedire; quod Evangelista declarans, de prioribus ait: *Continuò illos retia reliquisse*; de posterioribus verò, *statim relicti retibus & Patre Dominum secutos fuisse*. Perpende, inquit rursus Chrysostomus Hom. 14. in Matth. 4. & fidem & obedientiam vocatorum, si quidem in medio istius operis constituti (scitis autem, quàm ardua sit piscatio) cum illum audissent jubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt; non dixerunt: revertemur domum, loquemur Propinquis; sed cuncta illico relinquentes obediverunt.

Hæc est obedientia prompta, qualem à Filiis suis quòque postulat S. Ignatius, in Regula præsentè; ut nimirum obsecudemus promptè & alacriter, *sinè excusationibus, sinè murmurationibus*: non quemadmodum Propheta Jonas, qui à Domino ablegatus ad prædicandum Ninivitis, excusavit se & fugit à facie Domini in Tharsis. An non Jonæ socii & imitatores sunt, qui aliquò destinati, quò non inclinatur animus, protinus, pro excusationis palliolo, nunc vitium debilitatem, nunc sanitatem, nunc aliud quidquam prætendunt? An non Jonæ asseclæ sunt, qui dum muniis quæ minùs ardent, admoventur, in murmur ora laxant, oggeruntque: Quid à Præside, non meæ gentis aut nationis, aliud expectarem? Aut

cur ego, & non illi? Non considerant, Superiorem rationibus nixum, quò ipsi ignorent, nec illis explicare tentantur.

III. Arbor vitæ hæc quòque virtutis eximiâ pollebat, ut fructibus suis vitæ attritas repararet, comedentibus novam vigorem, fortitudinem, ac robur conferret, & morbis & senio & debilitate liberaret: Humorem enim naturalem primigenium resciebat, aut eo meliorem suggerebat: ut testatur S. Augustinus Lib. 13. de Civit. Cap. 20. *Calorem naturalem, continuâ adione & pugna, cum aliis cibis refractum, auget, roborâset, & in pristinum vel etiam meliorem statum restituisset; nisi si statis temporibus homo ex eo comedit, nec morbum, nec mortem, nec sanum incurrisset.* Haud ab simile quid in robore efficit obedientiæ arbor, quæ roborem, fortitudinem, robur & constantiam affert; atque ad omnia Superiorum Jussa, quantumvis ardua, generoso pectore exequenda, confert. Fortiter (ait S. Ignatius) *obediens*. Ita ut nec laborum magnitudo, nec multitudo molestiarum, nec periculorum incurfus à Præscripto Obedientiæ non revocet, aut retardet. Quò major labor & arumna, eò major quòque erit gloria, quò fortior pugna & lucta, eò pulchrior corona; eòque Deo gratior & acceptior Obedientia. *Generalis hæc Regula tenetur* (ait S. Bernardus de præcept. & capit. ut in difficilioribus agendis Obedientia sit hominibusque gratior & laudabilior quàm in facilioribus, minùsque onerosa & graviosa.

Talis fuit Obedientia Christi Domini ardua, fortis, heroica, quam totus



vite sui decursu nos docuit; in incarnatione, in natiuitate, in circumcissione, in fuga, in prädicatione, in passione, in morte; & licet omnia sibi uentura præciebat, tamen, nec officium, nec locum, nec personas declinavit; ut omnia de se scripta, & ab æterno Patre demandata consummaret, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Hanc fortissimam, generosissimamque Redemptoris obedientiam perpendens Doctor Mellissus de grad. humil. ita concludit: *Ex his qua Christus, ut obediret Patri, passus est, discimus quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia persequi, pro qua is, qui & Deus erat, non dubitauit mori.* His obedientia arduis, illustribusque exemplis, animati & corroborati fuere tot Ordinum Religiosorum ac Societatis nostræ pugiles & athletæ, qui in omnibus aduersis & periculis cum Apostolo exclamabant: *Omnia possum in te, qui me confortas.* Philip. 4. 13. quam fortis obedientia exiit S. Francisci Xaverii, Josephi Anchieta, Gonsalvi Syluæ & aliorum, in Indiam, Japoniam, Brasiliam proficiscentium? Quam fortis hodie dum nostrorum obedientia, militaria castra sequentium, pro salute militum? quam fortis obedientia Patrum, obsequio pestiferorum se deuoentium?

Huiusmodi nos excitemus, Charissimi, exemplis; si suo tempore, similia ardua uobis imponat obedientia, uerba Apostoli auscultate ad Ephes. 6. 10. *Frater confortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius: qui*

opem ferre & robur addere paratissimus est. Et cogitate talem à uobis requiri obedientiam, ex regula & mente S. Ignatii dicentis expedire, & necessarium esse ad profectum in spiritu, ut *Omnes perfecta obedientia se dedant, non solum executione externâ integrè, promptè, fortiter injuncta peragendo; sed abnegationem propria uoluntatis & iudicii habendo; Superioribus in omnibus se conformando, quò exactius conformentur primæ ac summæ regule, omni bonæ uoluntatis & iudicii, quæ est æterna bonitas & sapientia.*

Quocirca, Charissimi, si ex animo desideramus, ut anima nostra sit paradisi deliciarum Sponsi celestis, quatuor fluminibus gratiarum irriguus, & variarum uirtutum arboribus uernans ac efflorescens: ante omnia floreat in ea arbor uitæ, arbor, inquam, obedientiæ, quæ perfectè Superioribus subijciamur, cunctaque ab eis injuncta, integrè, promptè, fortiterque peragamus. 1. *Integrè*, exemplo Saluatoris exactissimè iussa Patris sui exequentis, non instar Saulis Regis, Dei mandata ex parte duntaxat implentis, ideoque audire coacti: *Melior est obedientia quam uictima, & quasi peccatum ariolandi est repugnare.* 2. *Obediamus promptè*, ut præter rem, quam peragimus, uoluntatem unâ offe. amus; sequamur exemplum Apostolorum, & confestim, absque excusatione aut murmuratione pareamus, quæ obedientia uirtutem uel obscurant, uel labefactant ac penitus enervant. 3. *Obediamus fortiter*, etiam in rebus arduis, exemplo

Ppp

Re-



Redemptoris, usque ad mortem crucis. Patri suo obedientis, abnegando voluntatem propriam, ut impleamus Divinam; exuendo iudicium proprium, ut sequamur iudicium Superiorum. Hæc ratione lignum vitæ, seu arbor obedientiæ, non solum nos alacres, sanos, fortes ac constantes red-

det, verum etiam vitam nobis proregabit, non quidem hanc mortalem, in mundo isto, ad aliquot annorum millia; sed vitam illam immortalem, cœlestem & beatam protendet & protrahet, in æternitates æternitarum pereunaturam.

## REGULA XXXII.

De integra sui manifestatione & subiectione.

# EXHORTATIO IN EANDEM,

Fructus integræ manifestationis & subiectionis demonstrat,

*T H E M A.*

*Unumquodque animal ante faciem suam gradiebatur. Ezech.*

*V E L*

*Liberam sui ipsorum dispositionem, cum vera obedientia Superiori relinquunt. Reg. 32.*



Unum obedientiæ veræ, subiectionisque perfectæ symbolum & Prophecia Ezechiel c. 1. Et Evangelistarum Aquila Apoc. c. 4. 8. depingit ac mentis nostræ obsequiis objicit: dum asserit se con-

spexisse *Quatuor animalia* (à Deo, ut exponit S. Hieronymus imaginatio eius proposita) *quæ erant 1. plena oculis. 2. Pennæ extensa desuper. 3. Unumquodque ante faciem suam gradiebatur. 4. Non revertebantur, cum succederent.* Ita Ezechiel. Quatuor hæc animalia, ad litteram, quatuor Angelus primarios, seu Cherubinos, tanquam Principes, Majestatem Divinam illustrantes